



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Stella Benedictina Sive Regula Sanctissimi Patris Nostri
Benedicti**

Meyenschein, Benedikt

Hildesii, 1725

VD18 10311831

XLIX. De observatione Quadragesimæ. Emendent mores, culpas
tergántque priores Sacra Quadragenæ tempora ducta bene.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65028)

- c) *Id est, tollit ex [sive impedit à] lectione. Alii legunt, distollit, id est, aliò conver- tit vel disturbat.*
- d) *Seu pœna vel disciplina.*
- e) *Toto extra Missam & Officium Divinum.*
- f) *Non quidem servile aut mechanicum pro die Dominico; sed liberale, ut scribere orare &c.*
- g) *Sive ut non sit otiosus.*
- h) *Intellige, à naturâ, seu teneriore com- plexione.*

31. MART. 31. JUL. 30. NOVEMB.

CAPUT XLIX.

De observatione Quadragesimæ.

Licet omni tempore vita Monachi Qua-
dragesimæ observationem debeat ha-
bere a: tamen quia paucorum est ista
virtus, ideo suademus istis diebus Qua-
dragesimæ omni puritate vitam suam cu-
stodire, & omnes pariter negligentias
aliorum temporum his diebus sanctis di-
luere b. Quod tunc dignè fit, si ab o-
mnibus vitiis temperemus, orationi cum
fle-

lectione
conver.
vinum
cum pr
scribere
re com
EMB.
ima.
i Qua
eat ha
st ista
Qua
um cu
entias
tis di
ab o
i cum
fle-

actibus, lectioni & compunctioni cordis
atque abstinentiæ operam demus. Er-
go his diebus augeamus nobis *c* aliquid
ad solitum pensum servitutis nostræ,
orationes peculiare, ciborum & potûs
abstinentiam; ut unusquisque supra
mensuram sibi indictam *d* aliquid pro-
pria voluntate *e* cum gaudio sancti Spi-
ritûs *f* offerat Deo: id est, subtrahat cor-
pori suo de cibo, ^{de} potu, de somno, de
loquacitate, de scurrilitate; & cum spi-
ritualis desiderii gaudio sanctum Pascha
expectet. Hoc ipsum tamen, quod
unusquisque offert, Abbati suo suggerat *g*,
& cum ejus fiat oratione *h* & voluntate:
quia quod sinè permissione Patris spiri-
tualis fit, præsumptioni deputabitur &
vanæ gloriæ *i*, non mercedi. Ergo cum
voluntate Abbatis omnia *l* agenda sunt.

- a) *Ad exemplum scil. antiquorum Patrum,
& ratione statûs, qui est luctûs & pœni-
tentia ac perfectionis.*
- b) *Id est, expurgare vel compensare.*
- c) *Id est, superaddamus pro bono nostro.*
- d) *Sive præscriptam, vel ab Ecclesiâ, vel à sa-
crâ Regulâ aut Superioribus.*



- e) *Per Abbatem tamen ratificandâ, ut mox sequitur.*
- f) *Velut fructu ac dono ejusdem.*
- g) *Seu insinuet; idque vel immediate, vel mediatè, insinuando nimirum de Abbatis licentiâ alteri Superiori aut Confessario, ut colligitur ex causali subjunctâ.*
- h) *Seu benedictione.*
- i) *Et quamvis hæc pariter habere locum videatur insinuando, revera tamen non habet; tum quia & opera ista supererogatoria & eorum notificatio hoc tempore omnibus sunt præscripta; tum etiam propter resignationem in voluntatem Superioris vel approbaturi vel reprobaturi.*
- l) *Quantumvis ex se bona; tum propter meritum obedientiæ, tum ad vitandas illusiones diabolicas.*

I. APRIL. I. AUGUST. I. DECEMB.

CAPUT L.

De Fratribus, qui longè ab Oratorio laborant, aut in viâ sunt.

Fratres, qui omnino longè a sunt in labore, & non possunt occurrere horâ competenti ad Oratorium, & Abbas per-